



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1785**

**VD18 13322648**

§. 37. Gregorii Selleri Cardinalis extrema.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII.

A. C. 1729.

cūmenico haberetur: at ipso Papa de-  
clarante, illud duntaxat Provinciale  
esse Synodum, saltem gravibus ratio-  
num momentis obtinuit, ut in Sessio-  
ne, in qua de Constitutione *Unigenitæ*  
decernebatur, his verbis: *debita obedi-*  
*entia*, adhuc verbum: *omnimoda ad-*  
*deretur*. Ceterum amplis divitiis au-  
ctus, nec pauperum, nec propriæ suæ  
commoditatis obliviscebatur, sed in  
agro Tyburtino, ubi autumnali tempore  
rusticabatur, splendidam sibi villam  
ab imo magnis sumptibus extruxerat.  
Hoc fuit illi vitæ genus usque ad an-  
num 1729. quo annos natus ferme quin-  
quaginta novem obiit, sepultus in Ec-  
clesia S. Ignatii.

## §. XXXVII.

*Gregorii Selli Cardinalis extrema.*

Postremus ex Purpuratis, qui hoc  
anno mortalitatem exuerunt, erat  
Gregorius Selli Perusinus. Hic hu-  
milibus quidem Parentibus in oppido  
Panicole natus, in omni tamen virtu-  
tum genere educatus, maximam de se  
spem fecerat. Juvenis adhuc Ordinis  
Prædicatorum institutum amplexatus,  
expleto probationis anno sese Deo so-  
lemni votorum sponsione devovit: Phi-  
losophicis disciplinis admotus, fervido  
suo

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

suo ac peracri ingenio Metaphysicis subtilitatibus summopere delectabatur, atque in hoc disputandi genere ceteros longe anteibat. Paulopost tamen ad magis seria intendens, arcana Theologiæ ad mentem D. Thomæ Aquinatis penetrare studuit, non tam ut doctior evaderet, quam ut ex hausta Angelica doctrina sanctior & proximo utilior esset, quocirca dubium reliquit, an virtutibus, vel scientiis præstantior foret. Assiduus quoque erat in evolvendis S. Literis, & Patrum operibus, quapropter hac supellectile sacra locupletatus, non sine maximo animarum proventu, & efficacis eloquentiæ præconio frequentes ad populum Conciones habuit, morumque Sanctitate ac Religiosæ vitæ exemplo, sua verba roboravit. Regnante Innocentio XIII. Romam delatus, & inter Theologos Casenatenses annumeratus, sua eruditione, concionandi arte, & animi moderatione in Aula Pontificia tantam sibi conciliabat existimationem, ut tanquam peritissimus Theologus a plurimis Cardinalibus, Prælatibus, aliisque Viris illustrissimis in consilium adhiberetur. Nec minus cognita & accepta erant hujus Viri merita Clementi XI. Pontifici, qui eum a secretis constituit sacrae Indicis Congregationi, & Consul-

*Hist. Eccles. Tom. LXXIII. K*      *ful-*

Sæc. XVIII. A. C. 1729. sultorem in Congregatione Indulgentiarum & Inquisitionis dixit, necnon in Canonisationum negotio potissimum ejus opera usus est, utque in arduis maxime rebus præsentaneum haberet ipsius auxilium, Gregorium non modo Sacri Palatii Magistrum, sed & conscientie suæ Rectorem sibi adscivit, eumque usque ad extremam vitæ suæ periodum sibi adstantem habere voluit, morientem quoque Gregorius piis adhortationibus adjuvit, Sacræ unctionis Sacramento munivit, ac denique mortuo oculos clausit. Pari quoque benevolentia ab Innocentio XIII. & Benedicto XIII, honorabatur; uterque enim Pontifex ab ejus consilio velut sapientiæ oraculo dependebat, & Benedictus Papa illum deposcentibus tantum Viri meritis die 9. Decembris Anno 1720. inter Purpuratos evexit, nec prius tamen evulgavit, quam die trigesima Aprilis anni sequentis. At vix expleto primo Cardinalatus anno Gregorius gravi morbo correptus, eoque ultra bimestre vexatus, tandem pie obiit die 30. Maij, annos natus septuaginta quatuor. Religiosæ paupertatis nunquam immemor, intestatus decessit, omnemque supellectilem sui Magistri Generalis arbitrio ac dispositioni commisit, unice rogans, ut persoluto ære alieno,

alieno, reliqua portio inter suos domesticos distribueretur. Corpus ejus in Ecclesia S. Mariæ super Minervam consueta pompa tumulatum quiescit: Præter alia scripsit vastum opus, in quo demonstrabat, Constitutionem *Unigenitus* nequaquam SS. Augustini & Thomæ doctrinis adversari.

## §. XXXVIII.

*Tres Cardinales a Benedicto XIII. Papa creati.*

Horum jacturam compensaturus Benedictus Pontifex, hoc anno die vigesima tertia Martii habito secreto, ut vocant, *Consistorio* unum ex suis Domesticis Præsulibus Romana honoravit Purpura; scilicet, Camillum Cybo ex Principibus Massæ & Carrariæ Patriarcham Constantinopolitanum, S. Palatii Præfectum, cui adjecit titulum S. Stephani in Monte Cælio. Præter hunc ab eodem Pontifice in Cardinales die sexta Junii inaugurati sunt. I. Franciscus Burghesius patria Romanus, Archiepiscopus Trajanopolitanus, Sacri Palatii Apostolici Præfectus, Cardinalis Presbyter tit. S. Silvestri in Capite. II. Carolus Vincentius Ferreri, Niensis, Ordinis FF. Prædicatorum,

K 2

Epi